

CAPUT TERTIUM
DE ARGUMENTATIONE

ARTICULUS I.

De natura argumentationis univcrse spectatae.

150. **Definitio argumentationis.** — Tertia humanae mentis operatio, ut initio diximus, *ratiocinium* nuncupatur, quod aliud non est nisi discursus seu processus mentis, quo iudicium unum ex alio colligitur. Ipsius signum seu exterior expressio est *argumentatio*. Haec porro definitur: *Oratio, qua ex argumento explicato, altera quaestionis pars deducitur.*

Dicitur 1. *oratio*: quae vox locum obinet generis, quod sequentibus vocibus in specie determinatur.

Dicitur 2. *qua ex argumento explicato*. Est autem *argumentum* generatim inventum idoneum ad fidem faciendam, sive ad persuadendum vel convincendum. *Explicari* autem dicitur, quum sic oratione evolvitur, ut ad institutum quaestionem solvendam aptum evadat.

Dicitur 3. *altera quaestionis pars deducitur*. *Quaestio* est enuntiatio, quae in dubitationem adducitur, ad eamque solvendam instituitur argumentatio. Complectitur proinde duplicem contradictionis partem, affirmationem scilicet et negationem. Exemplo sit: *Est ne anima humana spiritualis an non?* Si inveneris aliquid huic quaestioni solvendae accommodatum, puta rationem *principii intellectivi*, ac illud ita explicaveris: *Omne principium intellectivum est spirituale, Sed anima humana est principium intellectivum, Ergo*

est spiritualis: haec oratio dicitur argumentatio, ac propositae quaestioni affirmative respondet.

151. **Quid antecedens, consequens, et consequentia.** Ex data definitione elucet, argumentationem quamlibet duplici parte constare. Altera dicitur *antecedens*, ac unam vel plures enuntiationes complectitur, unde alia sequitur: altera vero pars vocatur *consequens*, et est ipsa enuntiatio, quae ex priori vel prioribus consequitur. Nexus vero consequentis cum antecedenti dicitur *consequentia*, ac efferi potest particulis *ergo, proinde*, aliisve generis eiusdem. Quare consequentia pressius dicitur *bona* vel *vitiosa*, quam *vera* vel *falsa*. Erit bona si re ipsa sit, secus erit vitiosa aut apparenter duntaxat. Ceterum nihil prohibet, vera etiam dicatur vel falsa, quia aequivalet propositioni conditionali, cuius conditio sit integrum antecedens, de quo agitur, et conditionatum integrum consequens inde deductum: omnis autem enuntiatio vera vel falsa sit oportet.

152. **Undenam totius consequentiae robur.** — Si quaeras, undenam vim suam consecutio seu consequentia nanciscatur, sive, quod perinde est, quid in causa sit cur mens ex positione antecedentis deducatur ad positionem consequentis, responsio facile habetur ex iis, quae initio diximus. Notavimus enim cum S. Thoma, conclusiones contineri quidem in primis principiis humanae mentis, sed propter debilitatem luminis intellectualis eam non statim in cognitione principii noti inspicere conclusiones omnes consequentes. Quod si perfecte principia intelligeremus, discursus in nobis locum non haberet. Hinc iudicando de veritate principii alicuius, indicamus quidem implicite de veritate conclusionum, quae in eo includuntur, sed id explicite non facimus quousque haec continentia fiat nobis nota. Quod si hoc contigerit, cum manifeste pateat, idem non posse simul esse et non esse, oportebit in consequente affirmemus vel negemus, quod in antecedente fuerit a nobis vel affirmatum vel negatum. Quapropter totius consequentiae robur enascitur ex principio contradictionis, *Nequit idem simul esse et non esse.*

153. **Consequentia immediata, et mediata.** — Consequentia alia dicitur *immediata*, vel etiam *simplex*, alia vero *mediata* sive medio utens. Prior habetur, cum una propositio ex altera deducitur sine adminiculo termini *medii* inter subiectum et praedicatum conclusionis. Huiusmodi est quae viget in dialectica conversione et aequipollentia propositionum. Huc etiam referri possunt illationes, quae ut habeantur, sufficit principium contradictionis, ex gr. quae nituntur in legibus dialecticis definitionis, divisionis, oppositionis. Erit vero illatio *mediata*, cum adhibetur terminus *medius* inter subiectum et praedicatum conclusionis, ut videre est in omni syllogismo. Multi autores *argumentationis* nomen huic postremae consequentiae duntaxat adhiereant, ac propterea pro eodem habent *argumentum* et *medium*. Sed melius videtur cum aliis dicendum, argumentum latius patere, quam medium, ac proinde nomen *argumentationis* merito extendi etiam ad discursus immediatos, qualis ex gr. habetur in hac conversione, *Nullus homo est lapis, ergo nullus lapis est homo*. Ratio est, quia argumentum communiter definitur, ut supra diximus, *Inventum quidpiam ad faciendam fidem*, h. e. ad persuadendam conclusionem. Atqui hoc contingit etiam in discursu praedicto; siquidem datur antecedens, quod utique est inventum plane idoneum ut conclusionem persuadeat.

154. **Consequentia materialis et formalis.** — Alia divisio consequentiae ea est, qua in *materialem* et *formalem* tribuitur. Formalis definitur, quae *vi formae concludit*, id est, quae sub eadem dispositione terminorum concludit in omni materia. Tales sunt omnes consequentiae syllogisticae, de quibus in articulo sequenti. Consequentia vero materialis est, quae *vi solius materiae concludit*, id est, quae tametsi valeat ratione materiae in qua versatur, sub eadem dispositione terminorum non aequae valet in omni materia. Exemplo sit haec consequentia; *Omnis homo est risibilis, ergo omne risibile est homo*. Valet quidem propterea quod in antecedenti agitur de praedicto proprio respectu hominis; sed minime valet in alia materia, puta si diceres, *Omnis homo est substantia, ergo omnis*

substantia est homo. Generatim haberi debet, tamquam materialis ea consequentia, cuius rectitudo ut appareat, necesse est expendere indolem obiecti. Contra, si inspecta solum dispositione terminorum, quodcumque demum fuerit eorumdem significatum, legitima apparet illatio, consequentia erit formalis: unde litteris exhiberi solet, ex gr. *Omne B est C: Sed A est B: Ergo A est C*.

155. **Generales consequentiae leges.** — Ut bona consequentia a vitiosa discernatur, leges quaedam a dialecticis stabiliantur, quae tamquam fundamentalia principia totius argumentationis haberi debent.

1^a REG. — **Ex vero non sequitur nisi verum: ex falso autem tum verum tum falsum.** — Ratio primae partis est, quia impossibile est, ut oratio sit vera nisi vera sint omnia et singula enuntiata, quae in ea continentur. Hinc falso quis assereret, *Nullus Apostolus fuit proditor*: non enim sunt verae omnes et singulae propositiones particulares in quas praedicta enuntiatio resolvitur. Atqui in bona consequentia conclusio continetur in antecedente. Ergo si hoc est verum, et illa vera sit oportet. Posterior pars probatur opposita ratione: nihil enim prohibet, quin verum contineatur in oratione falsa. Sic dato hoc antecedenti, *leo ridet*, sequitur et hoc consequens verum, *ergo est animal*, et hoc falsum, *ergo est homo*.

2^a REG. — **In bona consequentia, ex contradictorio consequentis legitime deducitur contradictorium antecedentis: sed non vicissim.** — Sequitur ex regula praecedenti. Nam stante contradictorio consequentis, hoc falsum sit oportet: duae enim contradictoriae non possunt simul esse verae. Atqui falsum consequens supponit falsum antecedens ac proinde verum eius contradictorium. Non valet e converso, quia potest verum consequens deduci ex falso antecedente.

3^a REG. — **Ex necessario non sequitur nisi necessarium.** — Necessarium enim semper est verum, contingens autem potest esse falsum, et impossibile semper est falsum. Si ergo ex necessario deduceretur contingens, vel impossibile, dari posset legitima argumentatio, in qua ex

vero antecedenti colligeretur falsum consequens, quod fieri nequit ex prima regula.

4^a REG. — **Ex contingenti colligi potest tum contingens tum necessarium, minime vero impossibile.** — Potest enim contingens connecti cum alio contingenti, ut *Petrus loquitur, ergo existit*. Potest etiam pendere ex necessario, modo connexio non sit mutua, ut *Existit mundus, ergo existit Deus*. At si connecteretur cum impossibili, videlicet si dato contingenti sequeretur aliquid impossibile, posset in bona consequentia ex vero deduci falsum.

5^a REG. — **Ex impossibili sequitur quodlibet, h. e. tum necessarium, tum contingens, tum impossibile.** — Sic dato hoc impossibili, *Asinus ratioenatur*, sequitur et hoc necessarium, *ergo est animal*; et hoc contingens, *ergo est seu existit*; et hoc impossibile, *ergo est homo*. Ratio est, quia licet impossibile semper sit falsum, tamen ex falso potest sequi tum falsum tum verum.

6^a REG. — **Quidquid stat cum antecedenti, stat cum consequenti: sed non semper e converso.** — Sensus est: quaecumque propositio potest esse vera, quin destruat veritatem antecedentis, potest etiam vera esse stante veritate consequentis; alioquin si destrueret veritatem consequentis, dum antecedens permanet verum, sequeretur ex vero falsum. Sic si valet haec argumentatio: *Virtus hominem perficit, ergo est illi bona*: ex eo quod virtus perficial hominem, licet sit difficilis, optime fieri potest ut sit illi bona, licet difficilis. Contra, quia sequi potest verum ex falso, nihil vetat, quominus aliquid sit verum simul cum consequenti, et tamen destruat veritatem antecedentis. Sic valet haec argumentatio: *Petrus est homo, ergo est animal*: cum veritate huius consequentis posset stare haec propositio, *Petrus est quadrupes*; sed minime stare potest cum veritate antecedentis.

7^a REG. — **Ex quocumque sequitur antecedens sequitur consequens; et quidquid sequitur ex consequenti, sequitur ex antecedenti.** — Ratio perspicua est: consequens enim, si legitime ducitur ex antecedenti, in eo continetur. Atqui quod aliud continet, contineat oportet

etiam quae ab eo continentur. Hinc data hac argumentatione: *Petrus est animal, ergo est vivens*: aequè arguere potes, sive dicas, *Petrus est homo, ergo est vivens*; sive dicas, *Petrus est animal, ergo est substantiam*. Nam eo quod *Petrus sit homo*, sequitur, ipsum esse *animal*, et eo quod sit *vivens*, sequitur ipsum esse *substantiam*.

156. **Argumentationis species.** — De argumentatione, quae medio non utitur, iis, quae iam dicta sunt, nihil superest addendum. Quae vero ratione solius materiae concludit ad logici considerationem non spectat, sed de ea iudicare debet scientia, cuius est materia vi cuius concludit. Quapropter eae dumtaxat argumentationis species modo examinandae veniunt, quae et medio constant et vi formae concludunt. Porro argumentatio huiusmodi tripliciter spectari potes. Primo, ratione *veritatis* propositionum quibus coalescit. Secundo, inspecta *indole argumenti*, quo tamquam medio utitur ad concludendum; num v. g. a priori vel a posteriori procedat. Tertio, attendendo solummodo ad *rectitudinem formae* seu terminorum et propositionum dispositionis aptae ad concludendum. Primo et secundo modo inspecta argumentatio in logica maiori expenditur, praesertim ubi sermo erit de scientia ac demonstratione. In praesenti non nisi tertio modo de ea loquemur, quemadmodum praestitit Philosophus in lib. 1. et 2. Priorum. Hac porro ratione si spectetur, quatuor argumentationis species loco citato recensentur ab Aristotele, videlicet *sylogismus, enthymemus, inductio, exemplum*; quibus aliae nonnullae passim addi solent. Nos primo trademus doctrinam de syllogismo simplici, et in eo explicando potissimum immorabimur; est enim omnium simplicissima aequè ac nitidissima expressio interioris discursus humanae mentis. Tum vero pauca subiciemus de ceterarum argumentationum forma.

ARTICULUS II.

Structura syllogismi simplicis.

157. **Definitio syllogismi.** — Syllogismus definitur a Philosopho (1. Prior. c. 1.) his verbis: *Oratio, in qua, positis quibusdam, aliud quid a positis necessario colligitur, eo quod illa sunt.* Sensus est: syllogismus est oratio pluribus enuntiationibus constans hac ratione dispositis ut, si praemissae concedantur, sequatur infallibiliter conclusio distincta a praemissis, et hoc sola inspecta forma, sic videlicet ut consequentia semper habeatur cum datur talis dispositio propositionum et terminorum.

Hinc tria facile inferuntur.

I. Quemadmodum essentia enuntiationis salvatur, sive enuntiatio sit vera sive sit falsa; ita de ratione syllogismi non est, quod constet propositionibus veris vel falsis, modo ita sint dispositae, ut praemissis concessis conclusio negari non possit.

II. Ad essentiam syllogismi non sufficit quaecumque necessitas consequentiae conclusionis a praemissis, sed huiusmodi consequentia debet esse *formalis*, h. e. ratione solius dispositionis praemissarum et terminorum, ita ut, posita tali dispositione, conclusio sequatur in quacumque materia.

III. Non est syllogismus, cum consequentia habeatur per conversionem, ex. gr. si dixeris: *Aliquod animal est rationale, ergo aliquod rationale est animal.* Ut enim patet ex definitione allata, syllogismus inferre debet aliquid aliud a praemissis. At vero, quod inferitur in conversione, proprie non est aliud, sed idem. Excluditur etiam a ratione syllogismi huiusmodi argumentatio per illa verba *in qua quibusdam positis*; his enim significavit Philosophus, non unam sed plures debere esse enuntiationes, ex quibus syllogismus concludit.

158. **Syllogismus simplex, eiusque artificium.** — Si propositiones, quibus syllogismus conficitur, sint *simplices de inesse*, dicitur *simplex* vel *categoricus*, et est lucidior oralis expressio ratiocinationis mentalis. Quo vero intelligatur, in quo positum sit artificium huic argumentationi proprium, haec animadvertas. Ut praedicatum de subiecto enuntietur, saepenumero non sufficit, ut mutuo comparentur: nempe ob defectum luminis intellectualis humane mentis, quae paulatim et pedetentium ad agnitionem veritatis pervenit. Tunc opus est recurratur ad alium terminum, qui inter subiectum et praedicatum, veluti *medius* inter *extrema*, constituitur, ut ex perspecta relatione, quam haec extrema cum hoc medio habent, mens discurrere valeat ad iudicandum, num inter se conveniant, nec ne. In hac porro comparatione extremorum cum assumpto medio fieri potest, ut mens detegat vel utrumque ab eo discrepare, vel utrumque ei congruere, vel denique alterum discrepare, alterum vero congruere. Si primum contigerit, discursui locus esse non potest. Quod enim duo discrepent ab uno tertio, indicio minime est, nec quod inter se conveniant, nec quod inter se discrepent. Sic, negare oportet de *homine*, quod sit *lapis*, contra de *homine* affirmari debet quod sit *animal*; attamen nec de *homine*, nec de *lapide* vel *animali* affirmari licet quod sit *planta*. Duo proinde extrema, tanetsi ab uno tertio discrepent, possunt et convenire inter se et discrepare. Cum itaque utrumque fieri possit, non licet unum prae altero inferre. Aliud vero dicendum, si secunda vel tertia fiat hypothesis. Si enim ex comparatione extremorum cum assumpto medio manifestetur menti, utrumque ei convenire, vel alterum ei convenire, alterum vero ab eo discrepare, necesse est, in priori casu unum de altero affirmetur, in secundo vero unum de altero negetur: quae enim sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se; quorum vero unum est idem uni tertio, aliud vero non idem, non sunt eadem inter se. Hic porro processus mentis is est, qui simplici syllogismo brevissime aequae ac nitidissime significatur. Exemplo sit si dicas: *Eus in perfectione finitum est contingens; Aliqui*

mundus est in perfectione finitus; Ergo mundus est contingens. Vel etiam sic: Nullum ens contingens existit vi suae naturae; Sed mundus est ens contingens; Ergo mundus non existit vi suae naturae.

159. **Materia syllogismi.** — Ex dictis patet, quoniam sit syllogismi *materia*. Haec porro alia *proxima* est, alia vero *remota*. Syllogismi materia remota sunt termini, proxima vero propositiones quibus constat. Termini sunt tres, duo dicuntur *extrema*, tertius vero *medius*. Extrema sunt subiectum et praedicatum conclusionis; illud vocatur extremum *minus*, hoc vero extremum *maius*: praedicatum enim se habet ut formale seu perficiens, subiectum vero ut materiale et perfectibile. Propositiones vero, quibus proxime constat argumentatio syllogistica, tres etiam numerantur. Priores duae dicuntur *praemissae*, in quibus videlicet extrema cum termino medio comparantur: tertia vero, quae ex prioribus conficitur, *conclusio* nuncupatur. E praemissis dicitur *maior* illa, in qua extremum maius seu praedicatum conclusionis confertur cum termino medio, *minor* vero illa quae minus extremum continet sive subiectum conclusionis. Quoniam vero praemissa *maior*, utpote per se dignior, primum locum meretur, hinc *ad usum quod attinet* communiter praemissa maior appellatur quae primo loco collocatur. Dixi, *ad usum quod attinet*; nam, quoad leges mox stabiendas, ea semper habenda est ut maior, quae maius extremum continet, licet secundo loco ponatur. Quandoque etiam sola praemissa maior vocatur *propositio*, minor vero *assumptio*: quia videlicet prima pronuntiatum quoddam universale exhibet, altera vero hoc pronuntiatum ad se trahit sive adsumit. Hinc illud Augustini. * *Proponunt* Graeci, si dii tales colendi sunt, profecto etiam tales homines honorandi; *assumunt* Romani, sed nullo modo tales homines honorandi sunt: *concludunt* Christiani. Nullo modo igitur dii tales colendi sunt. » (*De Civ.* lib. 2. c. 13.)

160. **Forma syllogismi.** — Forma syllogismi, prout iam notavimus, est independens a veritate enuntiationum, quibus conficitur, eaque consistit unice in *dispositione ter-*

minorum ac propositionum apta ad conclusionem deducendam. Hinc duo complectitur, videlicet dispositionem *terminorum*, ac dispositionem *propositionum*. Iam vero apta dispositio medii cum extremis *figura* a scholasticis nuncupata est: apta vero dispositio praemissarum in quantitate et qualitate in eadem figura vocatur syllogismi *modus*. Haec in praesenti inuisse sufficiat: paulo enim inferius declarabuntur.

161. **Syllogismus expositoryus.** — Medius assumptus potest esse vel communis, quod plerumque fit, vel quandoque singularis. Huiusmodi syllogismi, qui medio singulari constant, vocantur *expositoryi*, quia propter evidentiam, qua maxime gaudent, conclusionem quasi ab oculo exponunt. Tripliciter confici potest. Primo, ita ut nominis medius sit singularis, bina vero extrema sint termini communes: ex. gr. *Cicero non est graecus; Sed aliquis orator est Cicero; Ergo aliquis orator non est graecus*. Secundo, si non solum medius, sed etiam alter extremorum sint termini singulares: ex. gr. *Christus est Deus; Sed aliquis filius mulieris est Christus; Ergo aliquis filius mulieris est Deus*. Tertio denique ita confici potest, ut omnes termini sint singulares: ut si diceres: *Christus est Dei unigenitus; Sed Christus est unigenitus Mariae; Ergo unigenitus Mariae est unigenitus Dei*. Iam vero in huiusmodi syllogismis id unum observare oportet, terminum singularem aequivalere termino communi universaliter accepto: quandoquidem in hoc conveniunt, quod uterque non secundum partem suae extensionis sed secundum totam accipiatur. Hinc si sit aliquis terminus, qui licet sit singularis, in plura tamen subiecta distribui possit, cuiusmodi est hic terminus *Deus*, syllogismus, qui eo uteretur tamquam medio, non esset expositoryus, nisi specie tenus. Talis est hic paralogismus: *Pater est Deus, Sed Filius est Deus, Ergo Pater est Filius*. Etsi enim terminus *Deus* propter unicitatem divinae substantiae sit singularis, fide tamen docente, scimus eum ita accipi debere, ut de tribus Personis et singillatim de qualibet earundem praedicetur.

ARTICULUS III.

*Generalia principia ac praecepta totius artis
syllogisticae.*

162. **Quibus principiis proxime immititur syllogismi efficacia.** — Huic quaestioni recentiores prima fronte videntur discrepare a doctrina Philosophi. (I. *Prior.* c. 1.) Sed, si res attente consideretur, haec discrepantia non est nisi apparens, ut patet ex dicendis. Est itaque imprimis manifestum ex iis, quae in articulo praecedenti exposuimus, totam efficaciam artis syllogismi ad concludendum proxime derivari ex duobus axiomatibus. Primum *identitatis* principium, alterum vero *discrepantiae* nuncupatur. Illud ita effertur: *Quae sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se*: hoc vero sic: *Quorum alterum est idem uni tertio, alterum vero non idem, non sunt eadem inter se.* Sumuntur haec principia ex eodem Philosopho. (VII. *Top.* c. 1.) Quoniam vero ambo haec axiomata in principium contradictionis resolvuntur, hinc in tali effato, ut ceterae consequentiae, sic etiam consequentia propria syllogismi ultimo superstruitur.

163. **Evidentior et connaturalior applicatio principiorum identitatis et discrepantiae in syllogistica illatione.** — Licet syllogismus quilibet proxime vim suam desumat ex duplici axiomate enuntiatum, si tamen quaeratur, quanam sit evidentior aequae ac connaturalior eorumdem usus ad syllogisticae concludendum, haec tibi exhibetur sequenti duplici forma.

Omne	<i>M</i>	<i>est</i>	<i>P.</i>	Nullum	<i>M</i>	<i>est</i>	<i>P.</i>
	<i>S</i>	<i>est</i>	<i>M.</i>		<i>S</i>	<i>est</i>	<i>M.</i>
	<i>S</i>	<i>est</i>	<i>P.</i>		<i>S</i>	<i>non est</i>	<i>P.</i>

Littera *M* designat terminum medium, litterae vero *P* et *S* bina extrema, h. e. praedicatum et subiectum conclusionis. Nempe mens ita discurrit. Primo universe affirmat vel negat alterutrum extremorum de medio assumpto: secundo affirmat aliud extremum contineri sub extensione medii: consequenter demum affirmat vel negat de hoc posteriori extremo, quod in antecedenti universe affirmavit vel negavit de termino medio. Porro, manifestissime patet imprimis nec ulla declaratione opus est, huiusmodi concludendi modum esse omnino evidentem; perspicue enim et proxime in axiomate contradictionis fundatur. Quod vero talis dispositura terminorum et enuntiationum maxime sit naturalis, ex eo liquet, quod in ea maius extremum, utpote dignius, digniorem locum occupat etiam in praemissis; medius vero assumptus medium etiam locum sibi vindicat, quippe cum subiecti maiori, et praedicet de minori extremo. Praeterea ope huius dispositionis probare poteris quancumque conclusionem sive universalem sive particularem, eamque sive aientem sive negantem.

164. **Principia dictum de omni, dictum de nullo.** — Discursus mentis modo explicatus duobus axiomatibus exhibetur. Primum vocatur *dictum de omni* sic expressum: *Quidquid universaliter distributive praedicatur de aliquo subiecto, nequit non affirmari de omnibus inferioribus, quae sub extensione praedicti subiecti continentur.* Alterum vero nuncupatur *dictum de nullo* et sic pronuntiatur: *Quidquid universaliter distributive negatur de aliquo subiecto, negari debet etiam de omnibus inferioribus, quae sub extensione praedicti subiecti continentur.* Quocirca semper ac per talem discursum principia identitatis vel discrepantiae vim exercent in syllogismo, nihil obstat quominus huius relictudo dicatur etiam immixta eaque *immediate* in veritate axiomatum *dicti de omni* et *dicti de nullo.* Ceterum cum possit optime evenire, ut principia identitatis vel discrepantiae evidenter eluceant in syllogismo, quin *directe* et *immediate* habeatur processus praedictus: axiomata *dictum de omni, dictum de nullo* haberi non possunt quasi

in ea ratiocinatio quaelibet resolvatur directe atque immediate. Exemplo sit syllogismus sequenti forma dispositus: *Aliquod M non est P; Sed omne M est S; Ergo atiquod S non est P. Dixi directe atque immediate*: nam suo loco patebit, omnem ratiocinandi formam posse *mediate* vel *indirecte* resolvi in praedicta axiomata, et hoc sensu haberi posse ut quae contineant et exprimant vim totius syllogismi directivam.

165. **Generales leges artis syllogisticae.** — Ex fundamentalibus principiis modo expositis sequentes leges stabiliantur.

1^a **Tum re tum sensu triplex modo terminus esto.** Sequitur proxime ex ipsa structura syllogismi, cuius tota vis in hoc est, ut ex comparatione duorum terminorum cum uno tertio deducatur num inter se conveniant nec ne. Peccatur potissimum contra hanc legem, cum, etsi specie tenus tres tantum termini habentur, eorum aliquis modo una, modo altera acceptione usurpatur, ex variata nempe sive suppositione sive alia terminorum proprietate.

2^a **Latius hos, quam praemissae, conclusio non vult.** — Scilicet, extrema non debent in conclusione maiorem extensionem sibi vindicare, quam in praemissis habuerunt. Secus enim non compararentur invicem ea ipsa, quae collata fuerunt cum termino medio; et sic principia identitatis et discrepantiae minime locum habent. Quare non est legitimus sequens syllogismus: *Omne animal est sensitivum; Sed omne animal est substantia; Ergo omnis substantia est sensitiva*. Nam minus extremum, h. e. *substantia*, in praemissis particulariter sumitur, utpote praedicatum propositionis affirmantis, et in conclusione est subiectum propositionis universalis.

3^a **Nequaquam capit medium conclusio oportet.** Nam munus conclusionis est invicem conferre ea ipsa extrema, quae iam collata fuere in praemissis cum termino medio.

4^a **Aut semel aut iterum medius generaliter esto.** Cavetur hac lege, ne medius sumatur in praemissis particulariter tantum, ac propterea necesse est semel saltem

accipiatur secundum totam suam extensionem, h. e. secundum omnia subiecta, de quibus praedicari potest. Ratio est, quia, ut syllogismus concludat, debet ex ipsa dispositione terminorum in praemissis constare, ambo extrema collata fuisse cum uno eodemque medio. Atqui id minime contingeret, si medius assumptus sive in maiori sive in minori praemissa acceperet secundum partem duntaxat suae extensionis; sic enim optime fieri potest, ut terminus medius secundum aliam partem suae extensionis comparatur cum uno extremo, et secundum aliam comparatur cum alio. Exemplo sit, si diceret: *Omnis homo est animal, Sed omne brutum est animal, Ergo omne brutum est homo*. Huic simile est sophisma illud theologicum: *Pater est Deus, Sed Filius est Deus, Ergo Pater est Filius*. Licet enim terminus *Deus* sit singularis, est tamen distributionis capax ac praedicatur singillatim de tribus personis divinis: iam vero neque in maiori neque in minori praedicti paralogismi sumitur pro omnibus personis divinis, sed pro aliqua tantum, ita ut sensus sit: *Pater est aliqua Persona divina, Sed Filius est aliqua Persona divina, Ergo Persona Patris est Persona Filii*. Confer quae supra diximus [161].

5^a **Utraque si praemissa neget, nihil inde sequetur.** Ut enim supra [158] ostensum est, tametsi bina extrema minime conveniant cum uno tertio, non potest inde colligi eorum mutua sive convenientia sive discrepantia. Huic regulae minime obstat tritus ille syllogismus: *Qui Deum non colit non salvabitur, Sed impius Deum non colit, Ergo non salvabitur*: qui optime concludit, licet videatur constare duplici praemissa negante. Nam medius assumptus in hoc syllogismo est terminus infinitus *non colens Deum*: quocirca praemissa minor aequivalet huic alteri enuntiationi, *Sed impius est Deum non colens*, quae affirmativa est.

6^a **Ambae affirmantes nequeunt generare negantem.** — In hac enim hypothese ambo extrema conveniunt cum termino medio, ac propterea vi principii identitatis affirmare oportet in conclusione, ea inter se convenire.

7^a **Poerem sequitur semper conclusio partem.** — Duo praecipiuntur hac lege, videlicet conclusionem debere

esse negantem, si alterutra praemissarum sit negans, particularem vero si alterutra praemissarum sit particularis.

Ratio 1^{ae} partis est, quia semper ac alterutra praemissarum est negativa, e duobus extremis unum convenit cum termino medio, aliud ab eo discrepat. Oportet proinde ex principio discrepantiae negetur in conclusione ea inter se convenire.

Ratio 2^{ae} partis haec est. Nam praemissae, quarum alterutra supponitur particularis, vel ambae sunt affirmantes, vel una est affirmans altera vero negans. In prima hypothesi non est nisi una sedes, in qua terminus universalem acceptionem habere potest, videlicet subiectum praemissae universalis. Porro hanc sedem terminus medius occupare debet ex praescripto 4^{ae} regulae. Hinc bina extrema particulariter usurpantur in praemissis, ideoque particularia debent etiam esse in conclusione ex praescripto 2^{ae} regulae. Id vero fieri nequit nisi in conclusione affirmativa particulari. In altera vero hypothesi, terminus bis universaliter distribui potest in praemissis, videlicet ut subiectum praemissae universalis, et ut praedicatum praemissae negantis. Iam vero ex his duobus locis alter debetur termino medio, et idcirco unus tantum relinquatur pro extremis. In hac proinde hypothesi alterum extremorum sumitur particulariter in praemissis, atque ita particulariter etiam accipi debet in conclusione. Id autem fieri nequit in praedicto conclusionis; haec enim debet esse negativa, utpote fitens ex praemissis, quarum alterutra supponitur negans. Relinquitur igitur ut eius subiectum sit particulare, ac proinde ipsa sit particularis.

8^a Nil sequitur geminis ex particularibus umquam.

Nam si ambae praemissae sint negantes, nulla potest esse conclusio ex 5^a lege. Si ambae sunt affirmantes, terminus medius nunquam distributive accipitur, secus ac praecipitur in 4^a regula. Quod si altera praemissarum affirmet, altera vero neget, medius terminus distribuitur quidem in praemissis, nempe ut praedicatum praemissae negantis; sed cum nullus alius locus supersit acceptionis universalis, bina extrema nonnisi particulariter sumi queunt in

praemissis. Conclusio autem nulla viget in hac hypothesi. Si enim duceretur illatio negans, maius extremum in ea esset universale, contra praescriptum 2^{ae} regulae; sin vero deducatur conclusio affirmans, manifeste violaretur 7^a regula, quae vetat quominus ex praemissis, quarum altera est negans, inferatur conclusio affirmans.

166. Exceptiones nonnullae in recensitis legibus. — Attenta natura syllogismi expositiori, de quo supra, notandum est, 8^{am} regulam exceptionem pati in huiusmodi syllogismo. Sic recte concludes dicendo: *Aliquis Apostolus est Iudas. Sed aliquis proditor est Iudas. Ergo aliquis proditor est Apostolus.* Ratio est, ut iam monuimus, quia terminus singularis aequivalet termino communi, quandoquidem sumitur pro illo uno, pro quo dumtaxat usurpari potest. Quare in praedicto syllogismo fit comparatio extremorum cum uno eodemque tertio, et sic servatur veritas principii identitatis. Propter similem rationem concluditur etiam in hoc alio duplici syllogismo, tametsi neuter proprie sit expositorius; *Petrus est homo. Sed nullus leo est homo. Ergo nullus leo est Petrus:* item sic; *Aliqua substantia non est homo. Sed aliquis homo est Christus. Ergo aliqua substantia non est Christus.*

167. Scholion. — Sunt qui, quasi inutiles, reicere vellent recensitas syllogismi regulas, et eandem loco substituunt hanc unicam et simplicissimam regulam, scilicet *neesse est, ut una praemissarum conclusionem contineat, altera conclusionem in ea contineri declarat;* quam vocant regulam *de continenti et contento.* Respondet optime Caietanum Sanserverino his verbis: "Contentimus pronuntiatum *de continenti et contento*, quod iam in scholis invaluerat, non esse regulam, cuius ope de veritate syllogismi iudicium ferri potest, sed esse principium, sive, ut aiunt, fundamentum, cui veritas eius immititur. Revera ipsum est *geminum dictum de omni et nullo*, quod fundamentum syllogismi esse ostendimus... Octo autem regulae a scholasticis traditae et explicateae sunt, ut illarum subsidio cognosci queat, utrum nec in singulis syllogismis, qui vel ad aliquid demonstrandum conficiuntur vel contra de-

monstrationem confectam ab adversariis obiciuntur, conclusio in propositione tamquam pars eius aut tamquam ipsi aequalis confineatur. Quocirca nos non negamus octo regulas, quas scholastici tradiderunt, ad unicam revocari, sive haec de *continenti* et *contento*, sive de *omni* et *nullo* dicatur: sed existimamus ipsas esse valde utiles ad veritatem syllogismi perspicendam, quia singulae nobis patefaciunt, quae praestanda quaeve cavenda sunt, ut infer conclusionem et praemissas syllogismi ea servetur connexio, sine qua syllogismus existere non potest. In hac sententia Leibnitius certe fuit: hic enim quamvis universalem regulam de *continenti* et *contento* valde commendaret, tamen utilitatem peculiarium regularum saepe, ut diximus, agnovit adiecitque: *Aristotelem vel ex eo, quod hoc parvum systema formarum argumentationis invenit, optime meritum fuisse de doctis contra illos, quos omnia inficiari non pudet.* (Philos. Christ. Log. Pars 1. vol. 2. c. 3. a. 2.)

ARTICULUS IV.

De figuris ac modis syllogismorum.

168. **Quotplex syllogismi figura.** — Figura syllogismi nuncupatur [160]; *extremorum cum medio ad concludendum apta collocatio in ratione subiecti et praedicati*, Istiusmodi vero collocatio triplex excogitari potest. Prima, si medius subiciatur maiori extremo et praedicetur de minori; altera, si de utroque extremo praedicetur: tertia demum denique, si utriusque subiciatur. Hinc tres excurgunt syllogismi figurae his versiculis expressae:

*Prima prius subicit medium, dein praedicat ipsum.
Alteri bis dicit: bis tertia subicit ipsum.*

Posset etiam excogitari alia dispositura terminorum in praemissis, videlicet si terminus medius praedicetur de

maiori extremo, et minori subiciatur, ut in sequenti syllogismo:

*Omnis homo est animal,
Sed omne animal est substantia,
Ergo aliqua substantia est homo.*

Sed, si quis recte consideret, haec non est nova figura, sed prima cum conclusione *indirecta*. Etenim maius extremum syllogismi praecedentis non est *homo*, sed *substantia*; quippe latius patet in toto syllogismo, ac propterea per se vindicare sibi deberet locum praedicati in conclusione. Quapropter dispositio naturalis terminorum haec esset:

*Omne animal est substantia,
Sed omnis homo est animal,
Ergo omnis homo est substantia.*

Quoniam vero conclusio potest converti et evadere indirecta, hinc exurgit altera illa dispositio quae obiciebatur. Ceterum haec quaestio non est magni momenti. Sive enim quis numeret quatuor figuras, sive tamen tribus contentus sit, ita tamen ut primae duplicem modum concludendi assignet, res in idem recidit. Nos alterum loquendi modum adhibebimus propter rationem allatam.

169. **Quotplex syllogismi modus.** — Unaquaeque e recensitis dispositionibus medi cum extremis multifariam variari potest, ratione quantitatis et qualitatit praemissarum. Hinc varii exurgunt syllogismorum modi. Definitur autem *modus* in re syllogistica, *praemissarum ad concludendum dispositio ratione quantitatis et qualitatit*, iam vero, sola quantitas si spectetur, praemissae vel possunt esse ambae universales; vel ambae particulares; vel maior universalis, minor particularis; vel denique maior particularis, minor universalis. Quatuor proinde modi habentur, ratione quantitatit, in quaque figura. Horum vero singuli quatuorplex rursus variari possunt ratione qualitatit. Vel enim utraque praemissa potest esse affirmativa; vel utraque negans; vel maior affirmans et minor negans; vel

contra maior negans et minor affirmans. Sexdecim proinde modi enumerari possunt in singulis figuris. Hae vero sunt tres, prima autem est aequivalenter duplex prout adhibetur ad concludendum directe vel indirecte. Quapropter, supputatione facta, quatuor et sexaginta modos habere poteris ad concludendum. Quod si conclusionem etiam inspicias, cum in singulis modis recensitis possit adhiberi conclusio vel universalis affirmans, vel universalis negans, vel particularis affirmans, vel particularis negans, hinc nova suppositione facta, 256 formas enumerabis quibus fieri potest syllogistica argumentatio, ut in subiecto schemate videre poteris.

TABELLA MODORUM

Propositio	A			
assumptio	<i>a</i>	<i>e</i>	<i>i</i>	<i>o</i>
conclusio	<i>a, e, i, o</i>	<i>a, e, i, o</i>	<i>a, e, i, o</i>	<i>a, e, i, o</i>
Propositio	E			
assumptio	<i>a</i>	<i>e</i>	<i>i</i>	<i>o</i>
conclusio	<i>a, e, i, o</i>	<i>a, e, i, o</i>	<i>a, e, i, o</i>	<i>a, e, i, o</i>
Propositio	I			
assumptio	<i>a</i>	<i>e</i>	<i>i</i>	<i>o</i>
conclusio	<i>a, e, i, o</i>	<i>a, e, i, o</i>	<i>a, e, i, o</i>	<i>a, e, i, o</i>
Propositio	O			
assumptio	<i>a</i>	<i>e</i>	<i>i</i>	<i>o</i>
conclusio	<i>a, e, i, o</i>	<i>a, e, i, o</i>	<i>a, e, i, o</i>	<i>a, e, i, o</i>

170. **Utrum combinationes omnes recensitae legitimae sint nec ne.** — Manifestum est, non omnes combinationes praedictas idoneas esse ad concludendum. Plurimae enim inveniuntur, quae syllogismi leges transgrediuntur. Quo vero facilius discerni possit, quinam modi apti sint ad concludendum, quaedam aliae regulae a dialecticis feruntur, quaeque non sunt nisi applicationes octo regularum, quas supra demonstravimus. His versiculis comprehenduntur.

- 1^a FIG. DIR. *Sit minor affirmans, maior vero generalis.*
 1^a FIG. INDIR. *Si minor affirmat, tunc maior sit generalis.*
Maior ubi affirmat, conclusio sit specialis.
Si negat ista, minor generalis postulat esse.
 2^a FIG. *Una negans esto, nec maior sit specialis.*
 3^a FIG. *Sit minor affirmans, conclusio particularis.*

Ratio harum legum est, quia nisi serventur, necessario violare oportet aliquam vel plures ex octo regulis generalibus, ut quisque per se ipsum facile experiri poterit.

171. **Novemdecim modi legitimi.** — Ex praescripto harum legum novemdecim modi habentur utiles, qui memoriae iuvandae causa quibusdam versiculis a dialecticis indicati fuere, qui licet prima fronte barbari et ridiculi videantur, re tamen diligentius inspecta ingeniosissimi deprehenduntur propter artificium quo instruuntur, et brevissimis quibusdam formulis multa in memoriam revocant, quae valde iuvant, tum ad mentem exercendam et excollandam, tum ad ratiocinii naturam universali quadam methesi seu algebra perspicendam. En versus.

- (1^a FIG.) *Barbara, Celarent, Darii, Ferio.* (INDIR.) *Baralippton,*
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.
 (2^a FIG.) *Cesare, Camestres, Festino, Baroco.*
 (3^a FIG.) *Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.*

Quaeque harum vocum exprimit syllogisimum ope

trium vocalium, quae in tribus primis syllabis continentur. Ceterae vero litterae additae sunt vel ad verum complendum, vel ad indicandum, ut mox videbimus, quo pacto modi imperfecti et minus evidentes revocari possint ad eos, qui perfecte et evidentissime concludunt.

172. **Modi perfecti et indemonstrabiles.** — E novemdecim modis enumeratis quidam ita perspicue concludunt, ut nulla sit opus arte ad id ostendendum. Hi *perfecti* vocantur a Philosopho (I. *Prior.* c. 1.), et sunt quatuor priores qui directe concludunt in prima figura. In his proxime exercetur vis principiorum *dicti de omni et de nullo*, quae, ut supra ostensum [164] est, evidentissimam et maxime naturalem exhibent applicationem axiomatum identitatis et discrepantiae. En exempla.

BARBARA { *Omne compositum est effectum,*
Omne corpus est compositum,
Ergo omne corpus est effectum.

CELARENT { *Nullum bonum finitum satiat voluntatem,*
Omnia bona caduca sunt finita,
Ergo nullum bonum caducum satiat voluntatem.

DARII { *Omnis impius est infelix,*
Plures divites sunt impii,
Ergo plures divites sunt infelices.

FERIO { *Nihil inhonestum est homine dignum,*
Plura, quae placent, sunt inhonesta,
Ergo plura, quae placent, non sunt homine digna.

173. **Demonstratio ostensiva reliquorum modorum.** Quindecim qui supersunt modi non tam perfecte concludunt, ac propterea *imperfecti* vocantur et per priores demonstrari possunt. Haec porro demonstratio duplex est

potissimum, altera *directa*, quae et *ostensiva* dicitur, altera *indirecta per reductionem ad impossibile*. Prima in hoc est, ut ope solius conversionis enuntiationum ac transpositionis praemissarum syllogismus, quo de agitur, ad aliquem e quatuor prioribus reducat, atque ita manifestum fiat ipsum concludere necessario. Quid vero praestare oporteat, ut huiusmodi reductio obtineatur, innuitur a consonantibus *S, P, M* quae sequuntur tres primas vocales, quibus designantur praemissae et conclusio cuiusque syllogismi. Etenim litterae *S* et *P* significant esse convertendam *simpliciter* vel *per accidens* propositionem indicatam per vocalem praecedentem. Littera vero *M* significat *mutandas* esse praemissas, ita nempe ut maior evadat minor et vicissim. Consonans denique initialis ostendit, modum illum esse reducendum ad eum e perfectis, qui eandem initialem habet. Exemplo rem accipias. Sit sequens syllogismus in *Fapesmo*.

Omnis homo est animal,
Nullum brutum est homo,
Ergo aliquod animal non est brutum.

Iam vero littera *P*, quae in formula *Fapesmo* subsequitur primam vocalem, denotat maiorem converti debere *per accidens*. Minor vero converti debet *simpliciter*; hoc enim significat littera *S*, quae est in altera syllaba. Praeterea habemus etiam litteram *M*, ac propterea praemissae sunt transponendae. Si id fiat, praedictus syllogismus convertitur in sequentem, qui evidenter est *Ferio*.

Nullus homo est brutum,
Aliquod animal est homo,
Ergo aliquod animal non est brutum.

174. **Reductio ad impossibile.** — Exposita methodus adhiberi potest in omnibus aliis modis imperfectis, duobus exceptis, videlicet *Baroco*, et *Bocardo*. Hinc altera habetur demonstratio, licet indirecta, quae huc redit, ut ostendatur ex contradictorio consequentis necessario et evidenter col-

ligi contradictorium antecedentis. Hoc enim est signum manifestum, quod consequens in antecedenti contineatur, ac propterea ex hoc illud legitime inferatur. Hac methodo probari queunt non solum duo modi praedicti, sed ceteri omnes imperfecti, quippe in omnibus viget secunda e generalibus consequentiae regulis, quam supra declaravimus [155]. Est porro simplicissimum hoc artificium. Refinetur nempe una e praemissis; propositio vero contradictoria conclusionis adhibetur ut altera praemissa. Id si fiat, habebitur syllogismus perfectus, cuius conclusio erit contradictoria vel contraria praemissae, quae ommissa fuit. Quaeenam vero praemissa omitti debet, facile significatur a vocali *O*, quae invenitur in modis *Baroco* et *Bocardo*: videlicet in *Baroco* minor, in *Bocardo* vero maior variari debet. Quod autem fit in *Baroco*, id ipsum fieri debet in ceteris modis 2^{ae} figurae; et similiter in 3^a figura variari debet maior quemadmodum in *Bocardo*. Quod attingit vero ad 1^{am} figuram indirectam, hoc significatur sequentibus versiculis.

*Maior fit minor, et fit contradictio maior,
Excipe Celantes, in quo convertitur ordo.*

Ut haec exemplo aliquo manifestentur, sumatur sequens syllogismus 2^{ae} figurae in *Baroco*.

*Omne animal est sensitivum,
Aliquod vivens non est sensitivum,
Ergo aliquod vivens non est animal.*

Contradictoria conclusionis haec est, videlicet, *Omne vivens est animal*. Si haec loco minoris adhibeatur in proposito syllogismo, retenta eius praemissa maiori, hic alius perfectus habebitur syllogismus.

*Omne animal est sensitivum,
Omne vivens est animal,
Ergo omne vivens est sensitivum.*

Conclusio quae in hoc syllogismo habetur, evidenter con-

trahit praemissae minori, videlicet *Aliquod vivens non est sensitivum*, quae in priori syllogismo habebatur. Huius proinde consequentia legitima est, quippe quae, si negetur, admittere oporteret duo contradictoria esse simul vera.

ARTICULUS V.

De ceteris formis argumentationis.

175. **Syllogismus modalis.** — *Modales* syllogismi vocantur quorum propositio vel assumptio est modalis enuntiatio. Tales sunt si dicas, *Necesse est omne animal esse sensitivum, Sed necesse est omnem hominem esse animal, Ergo necesse est omnem hominem esse sensitivum*; vel etiam sic, *Possibile est omne animal sentire, Sed omnis homo est animal, Ergo possibile est omnem hominem sentire*. In huiusmodi syllogismis, si fuerint undique modales *de necesse*, qualis est quem primo loco proxime attulimus, locum habere possunt omnes figurae et modi in praecedenti articulo expositi, ut facili negotio experiri poteris. In reliquis vero tanta est varietas ac tot monitis et regulis indigent, ut sine magno discentium taedio explicari vix possint. Quapropter inspiciendus est sensus propositionum, eaeque mutandae in propositiones *de inesse*, quae idem significant: quo posito, diuidietur de syllogismo ex regulis hactenus declaratis. Exemplo esse poterit syllogismus, quem paulo superius adhibuimus: evidenter enim aequivalet huic alteri syllogismo, *Omne animal sentire potest, Sed omnis homo est animal, Ergo omnis homo sentire potest*: qui manifeste concludit in primo modo primae figurae.

176. **Syllogismus conditionalis.** — Syllogismus vocatur *conditionalis* sive *hypotheticus*, si eius propositio seu praemissa maior sit enuntiatio conditionalis, ex. gr. *Si existit ens contingens, datur ens per se necessarium, Atqui revera existit ens contingens, Ergo datur ens per se necessarium*. Hinc in huiusmodi argumentandi modo assumptio se habet ad

conclusionem, ut antecedens ad consequens; propositio vero se praemissa maior simpliciter enuntiat dari bonam consequentiam inter utrumque. Quocirca duo sunt modi legitimae illationis in tali syllogismo, videlicet vel ex positione conditionis colligere positionem conditionati, vel contra ex negatione conditionati procedere ad negationem conditionis. Ut enim supra docuimus [155], in omni bona consequentia ex vero antecedenti non sequitur nisi verum consequens, et hoc destructo illud etiam destruat necesse est. Non licet vero conversim arguere, videlicet vel inferendo veritatem conditionis ex veritate conditionati, vel inferendo falsitatem conditionati ex falsitate conditionis: ex falso enim sequitur tum verum tum falsum. Quocirca non est bonus arguendi modus, si dicas, *Si febris laboras male te habes, Atqui febris non laboras, Ergo non male te habes*; vel sic, *Si febris laboras male te habes, Atqui male te habes, Ergo febris laboras*.

177. **Notanda in praecedentem argumentandi formam.** — Hic vero tria observes.

I. Si conditio quae afferitur, sit unica, qua stante verificetur conditionatum, propositio conditionalis potest legitime converti ita, ut conditionatum evadat conditio, et vicissim conditio conditionatum. Consequenter in hac hypothesi non solum duo priores, sed etiam duo posteriores modi arguendi, quos recensuimus, erunt apti ad concludendum.

II. Si assumptio fuerit etiam hypothetica, conclusio deduci debet et ipsa hypothetica. Exemplum esto, *Si plantae vivunt ab intrinseco moventur, Sed si ab intrinseco moventur, substantiâ differunt a materia bruta, Ergo si plantae vivunt, substantiâ differunt a materia bruta*.

III. Sicut hic argumentandi modus haud raro peripicuitati deservit, ita plerumque etiam, si moderate non usurpatur, confusionem ingenerat ac sub eius praetextu facillimus est transitus ex una propositione ad aliam valde disparatam.

178. **Syllogismus disiunctivus et conjunctivus.** — Uterque hic syllogismus proxime accedit ad conditiona-

lem, quamobrem a pluribus inter hypotheticas argumentationes adnumeratur. Prior, adstructa propositione aliqua disiunctiva, ex negatione unius vel plurium e membris, quae disjunguntur, procedit ad affirmationem ceterorum: ex. gr. *Aut Christus fallitur aut mundus errat, Atqui Christus non fallitur, Ergo mundus errat*. Perinde est si dicas, *Nisi Christus fallatur, mundus errat, Atqui Christus non fallitur, Ergo mundus errat*. Syllogismus contra conjunctivus, posita propositione aliqua copulativa negante, qua videlicet negetur plura simul esse vera, ex unius partis affirmatione infert negationem alterius; ut si dicas, *Nemo servit simul Deo et pecuniae, Atqui multi serviunt pecuniae, Ergo non serviunt Deo*. Etiam hic syllogismus sub forma hypothetica efferri potest, dicendo, ex. gr. *Si quis Deo servit, non servit simul pecuniae, Atqui multi serviunt pecuniae, Ergo non serviunt Deo*. Planum est ex data explicatione, utrumque hunc syllogismum totam suam vim desumere ex natura propositionis, in qua vel disiunctio affirmatur, vel conjunctio negatur.

179. **Dilemma.** — Ad syllogismum hypotheticum proxime etiam accedit *dilemma*. Sic nominatur argumentatio composita, in qua duabus propositionibus disiunctive propositis adversario, ostenditur ex unoquoque membro aliquid contra ipsum concludi, ac propterea hoc ipsum esse absolute concludendum. Hoc modo Tertullianus pulcherrime redarguit Traianum, qui cum Christianos inquiri prohibuisset, si quis tamen illos detulisset, poenam eis irrogabat. *Vel christiani, ait, sunt nocentes, vel innocentes: Si nocentes, cur inquiri prohibes? Si innocentes, cur delatis poenam irrogas?* In utroque casu Traianus iniustus esse ostenditur. Huc etiam facit dilemma illud, quo Christus Dominus palam fecit summam iniustitiam militis, qui alapa eum percussit coram Caipha: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me caedis?* Hinc ad rectitudinem huius argumentationis requiritur, ut disiunctio sit adaequata, ac ita adhibeatur, ut ab adversario retorqueri minime possit. Sic, si cum Socrate morituro ita argueres: *Aut in morte sensus*

omnis admittit, ut in somno, aut animus ad feliciora loca migrat. Si primum, suaviter quiescat: Sin alterum, felicius vicam; facile refutaberis. Praeter enim bina illa membra, quae in prima propositione adducuntur, adest tertium, nimirum ad aeternam miseriam demigratio. Inanis etiam est argumentatio illius, qui hoc modo persuadere nitebatur alteri, ne rempublicam administrandam susciperet. *Vel male, aiebat, vel bene administrabis. Si male, Diis displicebis; Sin autem bene, displicebis hominibus.* Est enim manifesta sequens retorsio: *Vel bene, vel male rempublicam administro; Si bene, Diis placebo; Si male, placebo hominibus; Hoc munus proinde suscipere expedit.* Revocatur autem ad conditionalem mediante hac generali formula:

Si verificatur X, id fieri oportet vel stante A, vel stante B;
Atqui nec stante A, nec stante B:
Ergo nullo modo verificatur X.

In hac formula, X denotat conclusionem, cuius falsitas demonstrari debet: A et B membra dilemmatis.

180. **Enthymema, epichirema, polysyllogismus.** — Triplex hic argumentandi modus parum differt a communi syllogismo, ac iisdem legibus subiacet, ut patet ex cuiusque definitione.

Enthymema aliud non est nisi syllogismus imperfectus et quodammodo truncatus, cuius videlicet altera praemissa reticetur. Exempla sunt: *Virtus est qua nemo male uti potest, Ergo virtus est simpliciter bona:* item; *Id, quo nemo male uti potest, est simpliciter bonum, Ergo virtus est simpliciter bona.* In priori deest propositio, in posteriori assumptio. Hinc Boëtius (2. de diff. Top.) * *Enthymema*, inquit, est oratio in qua non omnibus antea propositionibus constitutis, infertur festinata conclusio. Huius argumentationis usus opportunus est, quando altera praemissarum facile intelligitur nec probatione indiget. Quia vero oratores saepius, quam philosophi, eo utuntur, hinc Aristoteles (II. Prior. c. 27.) *enthymema* vocavit syllogis-

mus ex verisimilibus aut signis, quia nempe hoc argumentorum genus valde familiare est oratoribus.

Epichirema definitur: *Argumentatio cuius vel uni vel pluribus praemissis probatio adiungitur;* ut si diceres: *Nullum compositum potest esse simpliciter primum in ratione entis; siquidem dependet a suis componentibus: Atqui omne corpus est compositum; est enim quantitati subiectum: Ergo nullum corpus potest esse simpliciter primum in ratione entis.* Uti vides, haec argumentatio resolvitur in tot syllogismos, quot sunt praemissae, quibus probatio adiungitur. Utiliter adhibetur, quotiescumque facile intelligitur probatio alicuius praemissae, eo quod proxime neclatur cum principio vel per se noto, vel iam demonstrato: sic enim vitabitur obscuritas, quam ingenerat syllogismorum nimia multitudo.

Polysyllogismus denique definitur: *Argumentatio, in qua uni completo syllogismo alter ita subnectitur, ut conclusio praecedentis fiat praemissa sequentis.* Talis est syllogismus proxime allatus, si ita prosequeris: *Atqui Deus est ens absolute primum, utpote prima efficiens causa; Ergo Deus non est corpus.* Facit haec argumentatio ad synthesim instituendam, quemadmodum ad analysim argumentationis formae mox explicandae.

181. **Acervalis oratio vel sorites.** — Sic vocatur argumentatio pluribus propositionibus ita constans ut semper praedicatum praecedentis fiat subiectum insequentis donec formetur conclusio, in qua subiectum primae cum praedicato ultimae copuletur. Hic argumentandi modus sequenti formula exhiberi potest.

A est B
 B est C
 C est D
 D est X
 Ergo A est X

Eius rectitudo imittitur in ultima e septem regulis generalibus bonae consequentiae [155], colligi videlicet ex

antecedenti quidquid sequitur ex consequenti. Nihilominus propter nimiam propositionum congeriem facilis est deceptio. Haec ut vitetur, resolvere oportet hanc argumentationem in syllogismum. Sic igitur resolves sortitem praecedenti formula comprehensum.

B est C
A est B
Ergo A est C

C est D
A est C
Ergo A est D

D est X
A est D
Ergo A est X

Ex hac resolutione patet, sortitem aliud non esse nisi complexum syllogismorum 1^{ae} figurae, relictis omnibus minoribus, praeter minorem primi syllogismi, (quae collocatur primo loco sortitis), et relictis omnibus intermediis conclusionibus. Quare ut fallacia vitetur in hoc argumentandi genere, tria cavere oportet. Primo, ne praedicatum propositionis praecedentis, dum evadit subjectum insequentis, immutetur. Secundo, ne ulla praemissa sit negans, excepta penultima. Tertio, ne ulla adhibeatur praemissa particularis, excepta prima. Ratio est, quia nisi haec vitentur, peracta resolutione supra exposita sortitis in syllogismum, manifeste apparebit violari vel primam legem ex octo generalibus, vel regulam 1^{ae} figurae, vel utramque simul; quod facili negotio per te ipse experiri poteris.

182. **Syllogismus inductivus seu inductio.** — In quo consistat, ad formam quod attinet, inductionis natura, breviter aeque ac nitide explicat Matthaens Liberatore his verbis. "Quemadmodum in definiendo et dividendo, ita etiam in argumentando duplici via mens procedere potest, videlicet per *synthesim*, ex notione nimirum magis uni-

versali ad minus universalem, vel per *analysisim* ex notione minus universali ad magis universalem. Hic posterior argumentandi modus elucet in inductione. Est porro inductio *Argumentatio, qua concludimus de subiecto aliquo universali id, quod de inferioribus eius singulatim affirmandum vel negandum esse cognovimus, experientia docente.* Quapropter si nominetur *S* subiectum universale, *a, b, c,* eius inferiora, *P* praedicatum in quaestione, poterit hic argumentandi modus sequenti syllogismo comprehendi:

Tum *a*, tum *b*, tum *c,* sunt *P*;
Atqui omne *S* est vel *a*, vel *b*, vel *c,*
Ergo omne *S* est *P*.

Hinc, ut recte concludat, duo requiruntur. Primo, ut subiectum universale adaequate dividatur in sua inferiora. Secundo, ut sufficienti experientia innotescat, singulis his inferioribus convenire praedicatum, quod de subiecto universali concluditur. Hoc vero postremum dupliciter fieri potest. Uno modo, si *omnia et singula* inferiora experimento probentur, et in omnibus et singulis inveniatur praedicatum in quaestione. Alio modo, si, aliquibus per experientiam probatis, constat praedicatum eis convenire propter rationem *communem* aliam etiam inferioribus, quae experientia non sunt explorata. Tunc enim vi huius principii: *Ubi eadem vel consimilis ratio militat, idem vel consimile iudicium ferendum est*; de ceteris inferioribus affirmatur praedicatum, quod in aliquibus existere experientia docuit. Porro, quo pacto delegi possit haec *communis ratio* alterius loci disputatio est, et in secunda parte logicae ex professo examinabitur. (*Instit. Philos. Log. pars 1^a n. 110.*)

183. **Notanda in praecedentem argumentationem.** — Hic vero duo sunt sedulo notanda.

I. Minime confundi debet argumentatio inductiva, de qua loquuti sumus, cum illa altera inductione, quae ad simplicem mentis apprehensionem pertinet, qua videlicet mens a *notione* aliqua particulari ad *notionem* universalem

ascendit, vel ab una propositione singulari ad universalem, quatenus primitus in aliquo obiecto singulari apprehendit terminos terminorumque identitatem ac deinde universalitatem absolutam principii cognoscit. In huiusmodi inductione singularia adhibentur tanquam obiecta, quorum consideratio iuvat, ut termini reflexione mentis rite intelligantur, et sic intellectus terminis veritas principii menti fiat manifesta: non vero requiruntur ut *veritas principii demonstretur*. Huius exempla suppeditant definitiones quae per analysim seu ascensum obtinentur.

II. Ad inductivam proxime accedit argumentatio per exemplum, de qua Aristoteles. (II. *Prior*. c. 26.) Habetur cum ex eo, quod factum sit vel factum supponitur in una re, cognoscimus quid factum vel faciendum sit in alia re consimili. Huc spectant parabolaes Iesu Domini; plurima etiam huius generis apud oratores et poetas inveniuntur. Quemadmodum inductio, sic etiam haec argumentatio nititur in principio analogiae, videlicet: *Ubi eadem vel consimilis ratio militat idem vel consimile iudicium ferendum est*. Differt tamen Inductio enim procedimus ex parte ad totum; exemplo vero ex parte ad partem.

ARTICULUS VI.

Vitia in argumentatione cavenda.

184. **Materia tractanda.** — In hoc articulo comprehendimus, quae Aristoteles late pertractavit toto libro, cui titulus *De sophisticis elenchis*. Huius libri doctrinam nitide expositam invenies inter opuscula, quae sub nomine S. Thomae circumferuntur, in opusc. *De Fallaciis*, (Edit. Rom. 39.) Nos praecipua, et quae scitu sunt magis necessaria, breviter hic exponemus.

185. **Quid sophisma et qua ratione ad Logicam considerationem spectet.** — Non quaevis argumentatio ille-

gitima aut falsa *sophisma* nuncupatur, sed ea dumtaxat, quae procedit ex his, quae videntur esse vera vel probabilia, et non sunt, vel simpliciter assumendo propositiones falsas, quae veri speciem habent, vel in virtute falsarum propositionum arguendo. Vocatur autem *sophisma*, seu *sophistica redargutio*, quasi tendens ad gloriam ut sapiens esse videatur; *sophistica* nempe appellatur quasi *apparens sapientia*. Sunt autem duo genera argumentationis huiusmodi. Quaedam enim *sophismata* ex propria eiusque scientiae materia desumuntur, quatenus illius scientiae principia non accipiuntur prout accipi debent: unde fit ut haec principia, ceteroquin vera et necessaria, quia tamen latiori, quam par est, sensu usurpentur, ad falsam conclusionem adducant, atque ita sub praetextu principii alicuius necessarii defenditur conclusio absurda. Exemplo sit illud principium: *Ex nihilo nihil fit*; quo tot philosophi abusi fuerunt. Harum fallaciarum refutatio spectat ad diversas scientias, quarum est explicare et tueri principia in vero et proprio sensu eorumdem. Ad Logicam vero pertinet aliud genus *sophismatum*, quae videlicet ex quibusdam communibus fontibus hauriuntur ac materiam omnem vitare possunt, quaeque formam potius quam *rationis* materiam respiciunt.

186. **Sophismata in dictione et extra dictionem.** — Hae porro captiones aliae dicuntur esse *in dictione*, aliae vero *extra dictionem*. Adest fallacia in dictione, seu in vocibus, cum propter unitatem vocis creditur esse unitas in rebus per voces significatis: adest vero fallacia extra dictionem, quando ex eo, quod aliqua res aliquo modo conveniant, simpliciter unum esse videantur. Primi generis sex species recensentur, nimirum: *Aequivocationis*, *Amphibologiae*, *Sensus compositi*, *Sensus divisi*, *Accentus*, *Figurae dictionis*. Quae vero sub altero genere continentur, sunt numero septem, videlicet: *Accidentis*, *Dicti simpliciter et secundum quid*, *Ignoratio elenchi*, *Petitio principii*, *Consequentis*, *Non causae pro causa*, *Plurium interrogationum*. De singulis pauca.

187. **Fallacia aequivocationis et amphibologiae.** —

Aequivocatio est *unius et eiusdem nominis diversa significatio*. Aequivocatio proinde quis decipitur, quando confunduntur res diversae propterea quod eodem nomine significantur. Maxime locum habet in terminis aequivocis, et ex variatione status terminorum. Est autem frequentissima et plurium errorum causa, ac proxime profuit ex idearum confusione. Parum ab hac fallacia differt alia, *ambiguitas* nempe, seu ambiguitatis, quae est deceptio proveniens ex eo quod *una oratio penitus eadem plura significet*: ut si quis diceret: *Isae arbores sunt Episcopi, Sed Episcopi sunt Sacerdotes, Ergo istae arbores sunt Sacerdotes*.

188. Fallacia compositionis et divisionis. — Duplex haec fallacia locum habet ex eo quod diversae dictiones orationem componentes diversimode componi aut distingui ad invicem, et sic diversam significationem habere possunt. Incurritur autem cum *ex eo quod duo praedicata nequeant alicui simul competere, inferitur ea neque seorsum competere posse; et viceversa*. Huiusmodi fallacia duplici ratione praecipue incurritur.

I. Si enuntiationes modales perperam usurpentur. In his enim viget sensus compositus, quando praedicatum *dicit* refertur ad *formale* significatum subiecti; sensus vero divisus, quando refertur ad *materiale* significatum subiecti. Exemplo sit haec duplex propositio modalis: *Impossibile est vigilantem dormire, vel, Possibile est vigilantem dormire*. In prima propositione sensus compositus est verus, sensus vero divisus est falsus: contra in secunda propositione.

II. Si permisceatur sensus *collectivus* vel *disiunctus* cum *distributivo* vel *disiunctivo*. Exemplum habes in hoc sophismate: *Omnis propositio est vera vel falsa, Sed non omnis est vera, Ergo omnis est falsa*. Profecto, ex eo quod de omni propositione singillatim affirmari possit haec disiunctio, quod videlicet *vera sit vel falsa*, nequit de omnibus et singulis affirmari alterutra pars praedictae disiunctiois.

189. Fallacia accentus. — Captio haec vere puerilis enascitur ex eo, quod aliqua dictio *diversimode pronuntiatu* diversa significet. Hoc fallaciae genus admitteres, si hanc

sententiam, non affirmando, sed interrogando proferres: *Qui fecit te sine te, non salvabit te sine te?* Idem peragunt Laterani in verbis consecrationis *hoc et hic*, ut videre est apud theologos.

190. Fallacia figurae dictionis. — Haec habetur propter similitudinem unius dictionis ad aliam, quae similitudo in causa est, cur ipsae dictiones et consequenter ipsi conceptus permisceantur: quare est *deceptio proveniens ex eo, quod aliqua dictio alteri dictioni similis videtur habere eundem significandi modum, quem tamen non habet*. Huiusmodi est, quando confunduntur nomina significantia substantiam cum iis, quae significant quantitatem, vel qualitatem ratione cuiusdam similitudinis; ut in trito illo sophismate: *Quantumcumque emisti comedisti, Atqui carnes crudas emisti, Ergo carnes crudas comedisti*. Huc etiam revocari possunt omnia sophismata, quae oriuntur ex mutata terminorum suppositione.

191. Fallacia accidentis. — Haec est prima e fallaciis, quae habentur *extra dictionem*, et est prae ceteris captiosa. Eam sic perspicere declarat Sylvester Mauro. * Fallacia accidentis est, cum ex eo quod praedicatum conveniat subiecto ratione accidentis, arguitur quod illi conveniat secundum se; vel ex eo quod conveniat secundum se, arguitur quod conveniat ratione accidentis. Ex. gr. *Album est concretum accidentale, Sed Petrus est albus, Ergo Petrus est concretum accidentale*. Ex eo quod album sit concretum accidentale, prout sumitur cum albedine, arguitur quod Petrus secundum se sit concretum accidentale. E converso, cum dicitur: *Petrus est in peccato mortali, Atqui agnosco hanc quem video esse Petrum, Ergo agnosco hanc, quem video, esse in peccato mortali*. Ex eo quod agnoscam Petrum secundum se arguitur quod ego agnoscam illum secundum accidens peccati mortalis. (Summul. c. 58.) Hic vero observa nomen *accidentis* in re praesenti sumi prout distinguitur contra *per se* in primo modo dicendi per se: quapropter quidquid alicui inest *praeter naturam propriam definitionis*, hic dicitur ei inesse per accidens. Hinc tripliciter peccari solet in hac parte.

I. Variando appellationem, ex. gr. *Christus est corpus, Sed Christus est Deus, Ergo Deus est corpus.* Etiam huc reduci possunt fallaciae, quae enascuntur ex variatione suppositionis.

II. Cum illud, quod tribuitur conceptui superiori, perperam tribuitur inferiori, et viceissim. Huc pertinent fallaciae, quae passim admittuntur, cum vitia nonnullorum individuatorum attribuuntur toti communitati, ad quam pertinent haec individua.

III. Quando illud, quod competit proprietati tribuitur speciei, et multo magis, si naturae subiecti attribuitur, quod illi contingenter omnino et variabiliter convenit. Hoc vitium habetur in malis inductionibus. Similiter etiam peccant, qui damna ex rerum abusu provenientia ipsis rebus attribuunt.

192. **Dictum simpliciter et secundum quid.** — Illud dicitur *simpliciter*, quod nullo addito coarctante vel inminente dicitur, v. g. *Petrus currit. Secundum quid* vero dicitur, quod cum tali addito dicitur, ut *Aethiops est albus quoad dentes.* Quare fallacia haec admittitur, quando dictum simpliciter perinde accipitur ac si esset secundum quid, et viceversa. Hoc modo decipiunt protestantes, cum ex eo quod Ecclesia prohibeat, ne S. Scriptura in vernacula lingua et sine debitis cautelis legatur, inferunt ab Ecclesia prohiberi SS. Librorum lectionem. Hoc etiam sophismate passim utitur diabolus ad homines decipiendos, cum ex eo, quod bona haec temporalia et caduca rationem aliquam boni participant, concludit ea esse simpliciter et omnino appetenda.

193. **Ignoratio elenchi.** — Elenchus generatim dicitur syllogismus certae alicuius propositionis contradictoriam colligens: unde si quis praetermittit aliquam conditionem ex his, quae ad veram contradictionem requiruntur, is *elenchum ignorare* dicitur. Fallacia proinde ignorationis elenchi committitur, cum *aliquis aliquid aliud probat quam probare tenetur et exinde se vicisse gloriatur.* Oritur vel ex ignorantia status quaestionis; vel ex astutia, qua quis, cum nequeat probare illud, quod debet, ne se fateatur

victum, ad aliam quaestionem mala fide digreditur omnino diversam.

194. **Fallacia petitionis principii.** — Consistit haec fallacia in eo quod ad aliquid probandum assumitur id ipsum, quod probari debet *sub alio vocabulo.* Hic vero animadvertite, hoc vitium minime incurri, quando de re aliqua non demonstratio veri nominis, sed sola quaeritur explicatio. Tunc enim quis dicitur petere, et quasi *emendicare* principium, quando hoc reapse demonstratione indiget, neque adhuc demonstratum praemissae loco assumitur ad ipsum probandum; ut si quis animum humanum numquam esse peritum ostenderet ex eo, quod dissolutioni corporis sit superstes. E converso, quando praemissae vel demonstratione non indigent, vel aliunde fuerint iam demonstratae, tunc principium ab adversario non petitur, sed illi propter evidentiam, qua gaudet, *imponitur.*

195. **Fallacia consequentis.** — Incurritur quoties *conversim arguitur in iis quae non convertuntur.* Huius fallaciae exempla plura tibi suppeditantur ex regulis rectae consequentiae, quas suo loco demonstravimus. Huc etiam revocantur syllogismi, in quibus terminus medius minime distribuitur. Perinde enim est dicere, *Si asinus est homo, est etiam animal, Atqui est animal, Ergo est homo;* ac si dicas, *Omnis homo est animal, Atqui asinus est animal, Ergo asinus est homo.*

196. **Non causa pro causa.** — Accipitur non causa, tanquam causa, *quoties aliquid putatur effectus alicuius, cuius reapse non est effectus.* Admittitur haec fallacia vel sumendo tanquam causam rei quod non est nisi simplex eius occasio aut conditio aut adiunctum; vel obtundendo causas fictitias; vel denique sumendo causam partialem pro totali. Enascitur vero ex triplici fonte potissimum. Primo videlicet, ex causarum ignoracione easque investigandi desiderio. Secundo, ex humanae mentis imbecillitate et magno in causis investigandis labore. Tertio denique, ex mentis perversitate ad incautos decipiendos. Exempla sunt innumera, ac passim occurrunt in usu vitae sive domesticae sive socialis.

197. **Fallacia plurium interrogationum.** — Consistit in eo quod ad plura simul interrogata pelatur simplex responsio ex qua falsum aliquid inferatur. Exemplo sit si quis velit ut affirmative vel negative respondeatur huic interrogationi: *Putas ne equus et Pegasus sunt homines?* Occurrendum est cum distinctione, et partem veram concedendo, falsam negando; et sic prohibetur sophista, quominus occasionem cavillandi ex responsione accipiat.

ARTICULUS VII.

De ratione disputandi.

198. **Quid disputatio.** — Non quaelibet argumentatio disputationis nomen habet, sed ea dumtaxat qua cum alio quopiam conferimus quod cogitamus, et ratiocinatione nostra aliquid illi suadere contendimus. Est itaque disputatio: *Argumentatio unius ad alterum alicuius propositi ostendendi gratia.* Manifeste vero elucet quantum utilitatis hoc exercitium habet, praesertim in scholis, ad veritatem confirmandam, illustrandam, et tuendam, si rite peragatur. Mirifice enim iuvat ad acuendum ingenium, ad celeritatem reflexionis, ad rerum diversos aspectus et veritatem aut falsitatem illico discernendam. Quare operae praetium erit, in ipso limine Logicae maioris, indicare modum, quo fieri debet. Id porro nitide admodum expositum habes apud Salvatorem Tongiorgi (*Instit. Philos. Log. lib. 4. c. 4.*); ex quo proinde haec, quae sequuntur, mutuaumur, et magna ex parte exscribimus.

199. **Diversae disputationis species et quae in singulis observanda.** — Est porro disputatio, pro diversitate finis sibi praestituti, vel *apodictica*, vel *elenctica*, vel *apologetica*. Prior pro fine habet directam veritatis confirmationem; altera adversae propositionis confutationem; tertia denique veritatem impugnatam tueri. Ut autem, prout

oportet, singulae peragantur, praeter ea, quae in praecedentibus dicta sunt, haec specialim adnotare iuvat.

I. Qui disputationem *apodicticam* instituit, debet et ipse clare et distincte, quod probandum assumit, intelligere, et accurate proponere ac declarare, terminos etiam, cum opus fuerit, definiendo; limites, intra quos assertio continetur, definire; ea demum, quae supponi debent, in memoriam revocare. Quod si thesis probanda pluribus constet partibus, divisione peracta, singulas probet.

II. Qui vero disputationem *elencticam* aggreditur, probe intelligat propositionem refutandam eamque fideliter referat; ac dein singula argumenta dissolvat, vel ostendendo in iis consequentiam abesse, vel praemissas refutando, vel denique, facta distinctione veri a falso eorumdem sensu, ostendendo ex vero propositum adversarii minime colligi.

III. Qui demum disputationem *apologeticam* peragit, is argumenta ab adversariis contra suam thesim opposita ad examen revocet, iisque nullam vim probandi inesse ostendat.

200. **Multiplex indirecte arguendi modus inter disputandum.** — Tam in probando, quam in refutando vel defendendo, argumentis sive directis sive indirectis uti fas erit. Illa idonea sunt ad conclusionem probandam per se et independentem ab alio medio; haec vero proxime ostendunt aliud, unde vel conclusio probanda colligi poterit, vel saltem eius refutatio obtunditur. Istiusmodi porro argumenta, indirecta videlicet, haec sunt potissima.

I. Argumentum habetur *ex absurdo*, cum thesim nostram ducimus ex absurditatibus seu contradictionibus, quae ipsius negationem consequenter. De hoc argumentandi genere plura opportuniori loco in Logica maioris adiciemus.

II. Argumentum *negativum* profertur, quando pro sententia aliqua probanda nullum quidem usurpatur probationis medium, at simul affirmatur nullum pro ipsius contradictoria profertur posse argumentum: quo fit, ut adversarius ad aliquid, si quid habet, proponendum pro-

voceatur, et totum probandi onus in ipsum reiiciatur. Huc spectant tritae illae argumentationes: *Nulla huius rei assignari potest causa; Ergo non datur*: vel, *Hoc gratis asseritur; Ergo impune negatur*: et alia id genus.

III. *Instantia* adhibetur, cum impugnatur propositionis alicuius universalitas, afferendo vel experientiam contrariam vel casum aliquem particularem, in quo deficit veritas enuntiationis ab adversario prolatae. Huc etiam referri potest illa arguendi ratio, qua ostenditur in argumento adversarii formam desiderari, transferendo hanc formam in aliam materiam, in qua fiat evidens argumentum allatum non esse formaliter rectum [154].

IV. Argumentamur *ad hominem*, cum ex principiis adversarii, ceteroquin dubiis vel falsis, quae tamen ut certa vel vera ab ipso assumuntur, nostram colligimus sententiam. Sic nempe adversarium cogimus, ut vel nostram sententiam amplectatur, vel sua principia repudiet.

V. *Retorsio* argumenti fit, quotiescumque adversarius adigitur ad suum ipse solvendum argumentum. Id autem fiet, cum ex principiis ipsius, vel ex conclusione ab ipso admissa inferimus, vel falsum esse, quod ipse verum putat, vel contra verum esse, quod ipsi verum videtur, vel demum aliquid quod eidem minime arridet. Hic arguendi, seu potius redarguendi modus locum habet praecipue in dilemmate, ut suo loco notavimus [179].

VI. Argumenti *inversio* viget, quando ex medio adhibito ab adversario ad suam thesim defendendam, vel nostram impugnamdam, colligimus vel thesim nostram, quam ille impugnare vult, vel contrarium eius, quod ipse defendit. Inversionem a Chananaea muliere Salvator noster benigne accepit, seu potius, quo mulieris fidem probaret et manifestam faceret, occasionem illi obtulit hanc inversionem adhibendi, aspera illa et apparetur dura negatione: *Non est bonum sumere panem filiorum et dare canibus*; cui Chananaea submisit respondit: *Etiam, Domine, num et catelli edunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum.* (Matth. XV. 25. 27. Cf. etiam loan. IX. 24. 34.)

VII. Argumentamur *per distractionem*, quando praetermissa responsione ad argumentum vel interrogationem adversarii, avertimus ipsum ad explicandum aliquid, quod ipse nescit aut non vult explicare; atque ita facite vel aperte concludimus, mirum non esse, si et nos responsum ipsi non demus. Exempla huius generis passim in Evangelio prostant: haec enim argumentandi ratione saepe numero usus est Christus Dominus ad retundendam pervicaciam scribarum et pharisaeorum. Vide ex. gr. quae narrantur Matth. XXI. 25. 26. 27.

VIII. Erit denique argumentatio, quam vocant *ad ignorantiam*, vel *invidiam*, vel *verecundiam*, quoties adversarium lacessimus ad nostra solvenda argumenta et ad meliora proferenda; vel ex doctrinis adversarii ducimus consectaria, quae ipsum risui vel odio exponunt; vel adversarium tanto auctoritatis pondere opprimere aggredimur, ut, qui contra senserit, quasi stultus vel ineptus habeatur. Patet autem hoc argumentandi genus raro admodum usurpandum esse, nec certe rebus huiusmodi eget sapiens veritatis inquisitor. Quandoque tamen utile erit ad temeritatem et pervicaciam adversarii retundendam, si gravate proponatur.

201. **Concertatio scientifica, scholastica praesertim.** Disputatio duorum ex una parte *electica, apologetica* ex altera, *concertatio scientifica* nuncupatur. Sub triplici forma usurpari consuevit, *communi, socratica et scholastica*. Prior habetur, quando sequimur liberum disserendi modum, ut mos est in ordinaria loquendi ratione. Socratica vero dicitur, quando quis interrogationibus apte dispositis et ordine quodam sibi succedentibus sensim sine sensu adversarium adducit, ut agnoscat veritatem aut falsitatem quam impugnat vel propugnat. Postrema demum obtinebit disputandi forma, *scholastica* nimirum, qua is qui thesim impugnat, quique illam tuetur, perpetua syllogismi forma argumentantur. Haec duabus praecedentibus praestat, tum quia facilius et accommodatior ad disputationis finem assequendum; tum quia aptior ad praecavenda vitia, quae in aliis disputandi formis solent irre-

pere. Quamobrem constanter adhibita fuit in scholis et hodie tum etiam usurpatur et usurpari debet. Ut vero modum calleas, quo peragi debet, haec habeto.

202. **Munia defendentis in scientifica concertatione scholastica.** — Qui thesim defendit, audito opponentis argumento, totum semel repetat quam fidelissime, nullis adhibitis animadversionibus. Regrediaturs deinde ad argumenti initium et de toto argumento ac de singulis propositionibus indicet. Si in argumento consequentia desideratur, omittat iudicare de praemissis, et consequentiam neget. Quod si argumentandi forma recta fuerit, indicet de singulis propositionibus; concedat veram; neget, quae est simpliciter falsa, quin rationem addat negationis; onus enim probandi incumbit adversario (1); quae ad rem non facit transmittat, ut assumatur tamquam concessa (2); si qua demum propositio sit ambigua, eam distinguat, concedens sensum propositionis verum et negans falsum. Quod si unum vel alterum distinctionis membrum adhuc offerat ambiguitatem, adhibeat subdistinctionem. Datam distinctionem, nisi clarissima sit, declarabit et confirmabit. Si eum adversarius de quopiam interrogabit, repetat interrogationem semel atque iterum, ac respondeat sive affirmando, sive negando, sive permittendo, sive distinguendo.

203. **Notanda, quo distinctio recte usurpetur.** — Ut vero distinctio, quae in hac concertatione praecipue locum habet, recte et nitide adhibeatur, haec nota.

(1) Quandoque non occurrit neganda ipsa propositio, quae assumitur, sed potius eius *suppositum*, nempe aliquid quod aperte vel occulte subauditur ab adversario, tanquam subiecto conveniens, quod tamen ei repugnat. Exemplo sit, si quis dixerit: *Deus, cum esse coepit, fuit infinitus*; certe supponit aperte Deum aliquando coepisse. Aliud huius rei exemplum supra attulimus [63].

(2) Non semper, in hac scholastica exercitatione, transmittitur propositio, ut assumatur tanquam concessa, ut quae ad rem non facit, de qua disputatur, sed aliquando etiam propterea quia iudicium de ipsius veritate vel falsitate alterius loci est, tractationis scilicet quae nondum a magistro tradita est. Nempe hac ratione modeste admonetur arguens, ut argumentationem suam intra iustos limites coëreat.

I. Ambiguitas propositionis tum in medio termino, tum in extremorum altero latere potest. Si ambiguitas latet in medio termino, distinguenda est tum propositio, tum assumptio, atque ita, ut quod negatur in maiori, affirmetur in minori, et vicissim; et postea neganda erit simpliciter consequentia. Sit exemplum:

Notio exhibens aliquid, quod dicitur de pluribus, est universalis:

Alqui notio collectiva exhibet aliquid quod dicitur de pluribus:

Ergo notio collectiva est universalis.

Defendens resumat argumentum et hoc modo distinguat.

Distinguo maiorem. Notio exhibens aliquid dicitur de pluribus *distributive*, est notio universalis; *Concedo maiorem.* Notio exhibens aliquid quod dicitur de pluribus *collective* est notio universalis; *Nego maiorem.*

Contradistinguo minorem. Notio collectiva exhibet aliquid, quod dicitur de pluribus *simul sumptis*; *Concedo minorem.* Notio collectiva *distributive sumptis*; *Nego minorem.*

Ergo, etc. Nego consequentiam.

Si vero ambiguitas latet in altero extremorum, tunc distinguenda erit praemissa, in qua illud invenitur; concedenda altera; et distinguendum consequens, concedendo consequentiam secundum eum sensum conclusionis, qui conceditur, negando vero secundum eum sensum, qui negatur. Sit exemplum.

Actus, quem voluntas impedire potest, non est necessarius:

Atqui talis est assensus legitimae conclusioni:

Ergo assensus legitimae conclusioni non est necessarius.

Respondebit defendens. *Concedo maiorem. Dist. minorem...* Quando veritas non est evidens; *Conc. min. Secus: Neg. min.* Et distinguet eodem modo consequens.

II. Subdistinctio modo cedit in illum terminum, in quem cedit distinctio: modo in alium. Hoc postremum si contingat, distinctio prima erit applicanda, ubi redit primus terminus, secunda ubi alter. Exempla sunt obvia, et passim occurrunt in his Institutionibus.

204. **Munia oppugnantis.** — Qui thesim impugnat probe apud se determinato quaestionis statu, argumentum ita proponat, ut conclusio eius sit propositae theses contradictoria; vel, si lubet, etiam contraria. Attendat post haec ad defendentis responsonem: si consequentiam ille, vel aliquam propositionem negaverit, ea erit probanda. Si vero distinctionem adhibuerit, instaurabit argumentum; in quo eius perspicacia maxime elucere debet. Hoc postremum triplici ratione fieri consuevit.

I. Directe impugnando distinctionem allatam hoc modo, puta in exemplo proxime recitato.

Atqui siue veritas praemissarum sit dubia, siue manifesta, assensus legitimae conclusioni impediri potest a voluntate. Ergo nulla distinctio.

II. Si impugnetur applicatio distinctionis, ostendendo videlicet partem negatam esse veram, ut si dixeris:

Atqui assensus legitimae conclusioni impediri potest a voluntate, quando veritas praemissarum est manifesta. Ergo stat difficultas.

III. Probando consequentiam, si videlicet ostendatur conclusionem fluere ex ea parte, quam adversarius concessit, in hunc fere modum:

Atqui si assensus potest impediri quando veritas praemissarum est dubia, nunquam est necessarius; vel etiam, quod perinde est: Atqui veritas praemissarum semper est dubia. Ergo stat difficultas.

Antecedens praecedentium argumentationum dici solet *minor subsumpta*; subsumpta quidem, quia argumentum resumit: minor vero, quia maiorem conditionalem supponit.

Notet insuper arguens primo: si quando disiunctiva negetur, licere sibi ab adversario medium petere, nimirum ut assignet membrum disiunctivae addendum, ut enumeratio sit completa. Secundo: si adversarius neget universalem conclusionem, quae inductionis ope collecta fuerit, petendum ab eo esse, ut afferat aliquid, ad quod conclusio illa non se extendat. Tertio denique ac potissimum curet, ne medium terminum initio assumptum temere immutet, sed illum retineat, quandiu negata cum concessis eam connexionem habent, ut his positis illa quoque cum verisimilitudine inferri possint. Mutatur autem medius terminus vel non probando quod negatum est, vel non instaurando argumentum distinctione dissectum. Cum vero difficultas plene soluta fuerit, non ulterius urgeat cavillando, sed vel alium assumat medium, vel quae illi supersunt argumenta, extra formam proponat. Cetera docebit usus.